I

Hic Liber
Donô mihi oblatus est à R.d. Melchio:
re Starzeński Praefecto almae
Universit: Leopolie:
Aô 1764. die 22.
Julii.

JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
DOMINO DOMINO

EUSTACHIO POTOCKI,

M. D. L. Supremo Rei Tormentariæ
PRÆFECTO
Equiti Aquilæ Albæ
De
Regia Præfectura Leopolienſi
Sub Auſpicatiſſimum Ejuſdem Præfecturæ
Aditum

GRATULATIO

Nomine Collegii & Univerſitatis Leopolienſis S. J.

FACTA.

M. D. CCLXII.
à P. Stanislao Chiczewſki S. J. AA. LL. & Phil. Mag.

Leopoli Typis Academicis.

Antonii Lauski.
M mo.

IMPRIMATUR

In quorum fidem &c. Dati Leopoli Die 28va Mensis Novembris A. D. 1762.

STEPHANUS
MIKULSKI

J. U. Doctor, Ecclesiarum Metropolitanæ Archidiaconus, Insignis Collegiatæ, Stanislaopoliensis Custos, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Leopoliensis.

mpp.

SI Clariſſimam generis tui amplitudinem Jlluſtriſſime Domine, &c. atq; infinitam propemodum recte factorum tuorum copiam, non hac quæ perexigua eſt, ſed longa quantumvis dictione, veluti extremis claudere limitibus animi noſtri ſententia foret, temere nos in errorem perinde coniiceremus, atq; is; qui ſeu rerum innumerabilium calculum inſtituere, ſeu immenſæ magnitudini, certos fixoſq; terminos, male ponere non erubeſceret. Verum enim vero, non ideo ab hoc periculoſiſſimo propoſito nobis abſtinendum putavimus, quaſi vero in re ad-

modum difficili, leve aliquod operæ pretium crediderimus, ſed quod gloriæ Tuæ ea terreamur majeſtate, quam cum verbis conceptiſſimis præ imbecillitate virium explicare nolimus, tum certe nemo unus eſt, qui omnem illam præ ſua ubertate vel cogitatione plane aſſequatur. Habet quippe peculiare quidem ſibimet ipſi, diffuſa Veſtri POTOCCIANI ſangvinis per Senatorios iuclytæ Poloniæ titulos uberrimaq; eluvio, ſed tamen id habet ſibi commune, non modo cum altiſſimis undequaque Oceani aquis, ut harum pariter atq; illius plenitudinem, diuturno labore quiſpiam exhaurire necquidquam contenderit; verum etiam cum rebus Divinis æternisq;, quarum quo penitius naturam perpetuitatem virtutemq; mens perſcrutata fuerit; eo illarum ſe obrui mole, ſeq; pulchritudinem earundem & pondus & pretium minime aſſecutam, ultro fateatur. Quæ cum in illis ipsâ natura, in te propitii Numinis donô, ita comparata ſint, jam in eam ex æquo adduci poteris opinionem, tum ut ne nobis vitio vertas, ſi ad honorificentiſſimum eumq; primum Præfecturæ Leopolitanæ aditum tuum, non omnes Nominis meritorumq; tuorum laudes,

des, operâ data memoraverimus; tum ut veniam ſilentii dones, ſi neq; illa tua decora quæ impune omitti nequeunt, ea qua par eſt ſermonis dignitate ſtrictim curſimq; attigerimus; alterum namq; incomparabili natalium Tuorum claritati, tributi loco reverenter debemus; in altero maximis temporum iniuriis anguſtiiſque dolentes impedimur. Ac licet quidquid & ſpiritûs & vocis habemus, omne id in Tuis encomiis, non occupare modo, ſed ſi res poſcat, abſumere nobis certum deliberatumq; ſit; tamen ſi omnia iſta optima Tua facta complecti velimus, non unum alterumve diem, ſed optare ſæcula nobis debemus & innumerabiles annos, & quantam Tu, Nomenq; Tuum meretur æternitatem. At quandoquidem dixére jam plurimi, longeq; ſuper ſunt plures dicturi ea, quibus omnia geſta veſtra, ſummarumq; virtutum merita laudantur; cumq; neq; nos met ipſos à gloriæ Tuæ præconio excludendos olim timeamus, ubi haud multo poſt ac hic ſpe minime dubia, nec vano augurio, in ſublimiore ac ſumma Senatûs dignitate aliqua conſtitutus fueris; iſtud eſt certe magnum quidpiam atque unicum, quod præſentem vicem noſtram ſummopere levet, majoremq; in modum

ſoletur: tum profectò, & quæ de te ex induſtria reticemus, & quæ hic pauciſſimis percurrimus, & quæ deinceps pleraq; alia nova in Te admiranda Orbi daturus es; majore animi libertate, ac voluntatis noſtræ obſequio, etiam atq; etiam celebraturi ſumus. Facimus igitur id hodie compendio quidem orationis, ſed maximo votorum noſtrorum damno, facimus id inquam quod breviſſimo huic tempori máxime congruit; omittimus nempe cætera, ut illud ſolum arripiamus quod multis fortaſſe mirum videri oporteret, tamen re ipſa veriſſimum eſt; Te nimirum in hoc Regiæ Leopolitanæ Præfecturæ munere capeſſendo, plus tribuiſſe Patriæ beneficii, quam ab eadam acceperis. Nunquam equidem ſpecie tenus & nomine, fortuna, honorumq; majeſtas conſideranda eſt; licet enim trabeæ, faſces & ſellæ curules, & hæc obſequiorum ſtipatio ac fulgor Tuorum ſint ornamenta meritorum pulcherrima quidem & auguſtiſſima, ſed longe illa clariora ſunt quæ tu impartitis Tibi honorificis muniis vice gratiæ retuliſti. Verum quæ illa tandem? quæ? ſuperum hominumq; fidem! quaſi vero omnium fugerint memoriam, quaſi vero non ob omnium ſemper verſentur oculos? aut non

per omnium reſonent celebrenturq; ora? quæ ut ut usq; quaq; luculenta atq; notiſſima ſint, ne tamen opinioni hominum (quanquam eos, celeberrimæ veſtræ famæ ignaros eſſe nullus exiſtimem] dubium aliquod relinquamus; Omnibus intuentibus quoq; Tuæ gloriæ amplitudinem, jam ex generis Tui claritate, jam ex Tuis ſingularibus merítis, jam ex incredibili Tuo in Rempublicam ſtudio, triplici Orationis capite liquido commonſtrabimus. Atq; ut eundem quem Tu in benemerendo tenes ordinem proſequamur, hanc nobis dicendi de Te legem proponimus ut imprimis fortunæ Tuorum Natalium gratulantes, demiremur jus illud naturæ ſuffragiumque, quod à majoribus Tuis, haud injuria cujuſquam facile Polonæ nobilitatis Principibus, arctiſſima ſangvinis communione accepiſti, ad omnes Regni celſiſſimas dignitates occupandas aut verius exornandas: Exinde vero deprædicanda veniant præclara Tua merita quæ Te ſummis honoris titulis, ſublimiorem pretioſioremq; faciunt; tum demum quod ſingillatim ueluti per quoſdam gradus ad maxima, quæ Te præſtolantur, bene abs Te actorum præmia evehari, amorem Tuum

boniq;

boniq; publici studium in causa esse, affirmare non dubitemus.

Ut ab ea quam nobis tenendam servandamq; constituimus, compendii orationis lege, ne minimum quidem deflectamus, utq; illa duntaxat quanquam & hæc primis ut ajunt labris delibemus quæ Tui juris, meritorumq; Tuorum, gloriæ, peculiaria esse censentur; missum facimus, cum Regiæ Præfecturæ Leopoliensis amplissimum decus, a quo Tibi plurimum accessisse ornamenti qui dubitet arbitror esse neminem; tum illos clarissimos Principesq; Viros SIENIAWSCIOS, RADZIVILIOS Tuosq; POTOCCIOS, qui ab antiquissima annorum memoria, haud interrupto ordine, hancce Præfecturam ita bene feliciterq; gubernavêre, ut ex illis non laudis minus quam sangvinis, arctissima transfusi necessitudine in Te redundaret. At si paucis communem proborum omnium de Tua hac dignitate sensum explicare otium mihi esset, Te ad tantum istud justitiæ munus accedentem qnicunque conspiciunt, continuo intelligerent, quantum Tibi Præses Jllustrissime, Regia apud Leopolienses arx, gloriæ theatrum, exhibeat. Si etenim a quo regium

obti-

obtineri locum, novimus, eum nobis maxima quadam prosequendum veneratione, non existimare non possumus; quanto majorem etiam putamus esse habendam dignitati ejus, reverentiam, quem Regis vice non inferiore quopiam, sed illo fungi sentimus munere, illoq; officio, quo nullum neq; ad splendorem illustrius, neq; ad amplitudinem majestatemq; gravius Reges habeant, quo uno iidem ipsi ita cæteris præcellant hominibus, ut ad DEUM accedant proxime, Divinumq; quiddam in se se præferant. Sed & subinde dum & illud agitaremus animo; illam videlicet Regiam publice dicendi juris, administrandæq; justitiæ potestatem, non in vulgus promiscuum, sed in ipsam Regni hujus nobilitatem, Leopolitano isto comprehensam territorio, collatam Tibi ab optimo serenissimoq; Rege Augusto III, collatam autem Tibi post magnos illos SIENIAWSCIOS, RADZIVILIOS, Tuosq; POTOCCIOS, quorum singularia merita incredibilemq; virtutem, atq; miram illam pro boni publici commodis agendi rationem, non ipsi tantum Poloni, sed Orbis totius annales, & nobis & seræ posteritati celebrandam relinquunt; cum id inquam attonita

tonita mente volveremus; tantum eidem Tuæ dignitati gloriæ acceſſiſſe arbitramur, quantum acceſſiſſe dubitandum non eſt; quantum ſcilicet, ſimul in eo Reipublicæ ordine, quem judicandum acceperis, honoris; ſimul in Jllis quibus par ſimillimusq; ſuccedis, amplitudinis ineſt. Verum de his ac de illo Tuo munere non agam pluribus, ne videar lucem, in ſole quærere, aut laudis Tuæ fontes aliunde petere, quos ampliſſimaDomus Tua, ita ſemper pleno alveo fundit, ut eoſdem cum aliis ſatis ſuperq; communicet: Eò potius orationem convertam, quod mihi propoſitum eſt, ut luculenter ſtatimq; aperiam Te nimirum vel ipſa generis amplitudine, non modo hanc, quæ certe honorificentiſſima eſt, ſed longe illuſtriores, magnificentioresq; dignitates quaslibet jure quodam meruiſſe.

Nam primum iſte Generis Tui fulgor, cum in ſe Maximus, tum vero prætera, tam illuſtrium Virorum Heroumque perpetua ſucceſſione in immenſum propemodum auctus, ec cujus non rapiat animum ſvaviſſimèque permulceat? pro certiſſimo aſſeverandum videtur, hominem reperiri vix poſſe, quin ſi modo POTOCCIUM Te

eſſe,

eſſe, KONSTCIAMque in Matrimonio habere, non ignoret; Te inquam hac Tua Jlluſtriſſima Proſapia, ad ampliſſimos quoſve honores capeſſendos jam inde in primam lucem editum, fateatur. Atque id quidem vel rudiſſimos non latet; politiores verò quiq; obverſari ſibi ob oculos quotidie experiuntur illam maximam POTOCCIANI vetuſtatem Nominis, quæ innumerabilibus ferm è jam abhinc ſæculis, ita quidem in Polonia fulgere cæperit, ut Nomen Veſtrum tanta ſit antiquitate nobile, quanta vix ulli fortaſſe Jlluſtri Familiæ ſit conceſſa. Et verò non ipſa iſta antiquitatis laus eſt, qua POTOCCIÆ Gentis celebritas in hac noſtra perſonat Republica: rebus prætereá, pro communi ſalute Patriæ uſque adhuc præclare geſtis ſummiſque gerendis honoribus (qui rectefactorum ſunt præmia] nunquam non primis in eo genere Polonis Proſapiis ſuppar fuit. Nullus ego dubito, qui Patrios noſtros Annales evolverit, ille per longam ſeriem,quam POTOCCII gloriæ ſuæ memoria implevêre, Virorum iſtius Nominis,toga æque ac ſago clariſſimorum non interruptum ordinem deprehenderit. Quos ego eximios ornatiſſimoſque Viros, ſi ex iiſdem Annalibus partitim hoc loco memorare ve-

lim, quam vastum dictioni aperiam campum, quam uberem Tuarum laudum nanciscar segetem? continebo me tamen iis quos mihi initio præscripsi limitibus, neq; procurram longius, quam quo primo in Te oculorum conjectu, ipsaq; POTOCCIANI recordatione Generis pervenire cogitando quisquam poterit. At eorum erit ne quispiam, cui quoties in Te fuerit intuitus, longè celeberrima Tuorum Majorum decora, non ita illico tum, præ oculis ponantur, ut ille se in infinitam quandam Avorum Proavorumq; Tuorum copiam, publicis illisq; incomparabilibus illustrem factis, velut sub uno conspectu positam intueri existimet? ut res ab iis militiæ, domi, in foro, in curia, in Comitio, in Sacris Ædibus, in Patria, apud exteros optimè actas, quasi oculis subjectas, vel rudis & peregrinus perspiciat? ut eorundem egregiam in Regnum istud, in Ecclesiam, in DEUM, promerita, consilio, labore, studio, solertia, eloquentia, opum copiosissimarum impendio, ipsiusq; adeo vitæ ac Sangvinis effusione, non operosè minus quam gloriosè parta, quasi in unam redacta summam, atque suis exhibita obtutibus, à se videri conspiciq; credat? ut meritorum istorum præmia, in omnibus jam

Ci-

Civilium, jam Sacrorum honorum insignibus, in Heroum nempè palmis ac laureis, in Senatorum trabeis, in Tyaris Pontificum, cæterisque istiusmodi ornamentis, quasi unum congesta in cumulum, & ad spectaculum exposita, veluti fixis oculis contempletur? Quid autem? poterone, hæc singula, qua par est justi sermonis copia recensêre? id minimè verò: qvamvis equidem quotusquisque non dico reminiscitur, sed adhuc videt, quantis honoribus POTOCCII auxeritis, ornâritisque Rempublicam; tamen qui sola Titulorum Vestrorum Nomina, probè ad certum reduxerit calculum, est profectò nemo ullus. Numeravêre non diffiteor plurimi POTOCCIOS Sacrorum Antistites duos alterum Culmensem, alterum Principem Varmiensem, quibus tertium addidêre Principem Archiepiscopum Gnesnensem, Regni Primatem: Jnter Castellanos Cracovienses veniunt memorandi POTOCCII quatuor ac Tuus Jllustrissimus Avus 5tus: itidem Cracovienses Palatini POTOCCII sex, Posnanienses tres, Kijoviæ quinque, Volhyniæ duo, Podoliæ unus, Smolenscenses duo, totidem Belzenses, Mazoviæ unus, Braclavienses duo de viginti, Pomeraniæ unus Jam Castellanos Majores minoresque velu-

ti innumerabiles prætereo; ſed neq; omnes pacis bellicꝫ Regni, Magni Ducatûs Lithvaniæ, atque Curiæ Regiæ Miniſtros ad numerum revoco. Sufficiat dixiſſe Regni Copiarum Ductores fuiſſe POTOCCIOS octo, cæteros verò pleroſqꝫ omnes, tribunos militares, quorum Nomina ac geſta clariſſima quoties attonita mente verſo, quin ab iſta mea diſcedam ſententia, tantamque hanc cum admirandarum virtutum, tum eximiè factarum rerum gloriam, univerſo POTOCCIORUM Generi aſſeverem fuiſſe propriam ne vix quidem me contineo. Cedo enim cedo vel unum quempiam ab ipſa ſua origine Familiæ iſtius Virum, qui non toga ſagoqꝫ clariſſimus, qui non Honorum Titulis Jlluſtriſſimus, qui non deniqꝫ fuiſſet POTOCCIUS? ita ſanè POTOCCIUS. Tanta enim POTOCCII ad unum omnes, rerum domi atqꝫ militiæ fortiter ſapienterqꝫ geſtarum gloria effloruerunt perpetuo, ut hoc ipſum eorum Nomen, non tam Familiæ videatur quam virtutis fuiſſe. Agedum cum pleroſque omnes minimè poſſimus, eorum duntaxat unumquemque attingamus, qui Tibi neceſſitudine proximè adhærent, ſed ita obiter attingamus, ut neqꝫ infiniti ſimus neqꝫ nos tamen, imo verò & noſtros poſte-

ros

ros animi voluptate jucundiſſima, maximaque longè pulcherrimorum virtutis exemplorum utilitate defraudemus.

Atque porro Principem ſibi laudis vendicat locum Dulciſſimus Cariſſimusq; Avus Tuus FELIX CASIMIRUS POTOCKI Caſtellanus Cracovienſis, Copiarum Regni Supremus Ductor, Filius STANISLAI in Podhayce Palatini Cracovienſis itidem Magni Copiarum Ductoris, Fraterq; ANDREÆ Caſtellani Cracovienſis Ductoris quoq; Copiarum Campeſtris: FELIX hic inquam Avus Tuus, quam clarum, quam illuſtre jam Tibi, jam ſuæ Familiæ, jam univerſæ Reipublicæ lumen fuit! quem enim Senatorii Nominis Virum, (Poloni Regni quodcunque ævum, in foro, quem in Curia quem in Campo & Acie clariorem vidit? bellicas Herois fortiſſimi feliciſſimiq; deſideramus laudes? unus ille ad Mederecum exigua ſuorum manu, quorum duo numerabat duntaxat millia, Kozakorum 20000 copias, cum ſuapte vi præferoces, tum victoriarum, quibus præter ſpem potiti erant inſolentia in furorem actas, non modo repreſſit, ſed & fudit. Jam quot præliis idem ipſe interfuit & ita interfuit, ut parta tum victoriarum gloria, ipſi propemodum uni

pro-

propria vel cum paucis communis fuerit: ad Cudnovum, ipſe Moſchos, cum GEORGIO LUBOMIRSCIO, Hungaros, cum CZARNECCIO iterum Moſchos Kozacosque, cum Sereniſſimo JOANNE III. ad Chotimum, Viennamq; Turcas, victricibus armis apertoq; Marte, maxima eorundem hoſtium clade ſuperavit. Niemirovia, Komarnium, Kaluſſia, Voronkova, Podhaycii, ſexcenti denique Ruſſiæ, Podoliæ, Volhyniæ; ac totius Poloniæ loci, viderunt iſtum jam Militem longè fortiſſimum, jam Jmperatorem Jnvictiſſimum, non minus fortiter quam fortunatè ſemper pugnantem. Verum quid ego hæc ſolum? enimvero Tu quoque Auſtriæ Vienna non modo vidiſti, ſed omni etiam contentione, Martium illum Virum Tibi exiſtimaſti viſendum, cum ille primum Polonarum Copiarum agmen, jam in hoſtem barbarum, generoſus Tribunus duceret; jam eodem conciſo hoſte, onuſtus præda, plenus gloria, lætus triumphis ex campo rediret. Sed quid ego victoriam memoro, cum pleriſque multis communicatam? nunquam iſtius tanti viri bellica virtus victrici caruit exercitio; docemur quippè Annalibus, eum non ſemper univerſo ad prælium uſum exercitu, ſed paucis cohorti-

bus

bus Victorem extitisse: Quid enim opus erat multitudine, cum ipse pugnaret, ipse omnibus locis, totaq; acie dimicaret, ipse immistus gregario militi, hostibus undique, & qua resisterent, & qua cederent, & qua fugerent, occurreret, erroremq; adversariis pariter atq; suis faceret, cum neq; illum barbari unum putarent, neq; proprii milites, non dico stipatione atq; comitatu, sed saltem oculis sequi possent: toto namque prælio ferebatur, non aliter quam solet magnus amnis, hybernis imbribus auctus & nivibus, passim fluere qua Campus est, ita Scythæ Turcæ, Kosaci, Moschi, cuncti tanta internecione cæsi interfectiq; sunt, ut extinctos eos, rel ctis domi Conjugibus ac Matribus non profugus aliquis è prælio, sed victoriæ istius Viri gloria nunciaret. Facilis est mihi aditus Jllustrissime Domine ab invictissimo Viro illo Avo Tuo, ad Patrem Patruosq; Tuos. Et Patris imprimis GEORGII Præfecti Grabovecensis virtutibus prædicandis prolixius immorandum esset, sed quid faciam? novam quandam patior ex copia difficultatem: quid inquam faciam? quæ Polonia exteræque Gentes viderunt, aggrediar? hostium quos cum Patre sæpenumero fudit, sanguinea cædes mihi se objici-

et,

et: attritos Svecos præliis referam? Moschus bellis consumptus offeretur; redactum ad Paludes suas Moschum loquar? compulsi in fugam Cosaci quoq; occurrent: cum igitur impediat turba delectum, Viri tanti præstat gesta in summam referre, quam enumerando tenuare; ac dixisse sufficiat, illum extitisse, in quo virtutes simul omnes Paternæ vigerent quæ cum in ipso eodem tum in suis Fratribus Tuis Patruis prædicantur. Quorum natu maximus MICHAEL in Sendzisow Palatinus Volhyniæ, jam inde cum Patre ad Podhaycios Scythas fregit, jam ipse Svecos, Moschos Cosacosq; pluribus locis in fugam egit, jam ab Augusti II. obitu; Mareschallus Volhyniæ factus, ad Cremenecum qningentos supra mille Cosacos interfecit. Alter Patruus Tuus JOSEPHUS in Krystynopol POTOCKI Excubitor Regni. FRANCISCI SALESII hodierni Palatini Kijoviæ, cujus eximia in Rempublicam gesta, ad Posterorum memoriam distinctis celebrantur fastis, alter hic inquam cum Tertio Patruo Tuo STANISLAO Palatino Belzensi, vel ipsis Saxonum Annalibus ob incredibilem utriusq, in re militari gloriam, laudibus, in Cœlum feruntur: Atq; si Patris Tui Patruorumq; sæculo,

lo, mos ille vixisset, quo Romani Duces, Macedonici, Cretici, Africani, de vocabulis Gentium subactarum, adoptivum insignè sumebant; non paucissima in Vestræ Domus titulis agnomina legerentur: cum unus Sveticus, alter Moschoviticus, alter Scytharum vocaretur, & quantum tota Respublica habuit hostium, tantum una Familia Vestra ostenderet & triumphorum. Sed quid necesse est mitti iu singulos diligentiam curiosam? natos illos, Patrem nempe Patruosque Tuos, de Parente suo mox celebrato æstimemus: nec difficilis conjectatio est: nam cum duo sint, quæ Claros Duces faciant, summa virtus summaq; felicitas, & cum scire obvium est, qua præditus fuerit virtute felicitatèq; qui genuit docuitq; pronum etiam est intelligere, qua virtute fuerint ab eodem geniti. Cum autem tam formidabiles hostibus fuerint, mirum dictu, quam placidi erga suos nobiles domesticosq; extiterint. Quid? faciles aditus, quid? aures patientissimas, quid? benigna alloquia, quid? vultum Jllorum augusti decoris gravitate hilaritateq; compositum, ac venerandum quiddam & amabile referentem, quis dignè exequi possit? quarum rerum miraculo, omnes apud illos eosdem, devinciebantur. At

longum esset eorum percensere beneficia, quæ in Orbem sine modo redeuntia, & svavi contexta benignitate, ita fuissent infinita numero atq; commodis ingentia, ut nunquam oblivione gratiam eorundem obductura sit, vel multitudo omnium, vel utilitas singulorum. Sed age porro, quæ sunt eximiæ reliquæ istorum Virorum illustrium virtutes? compendio dicam, quod spopondi: fides primum opinor, & obsequium erga Reges optimos; deinde vero gesti semper cum laude Magistratus gravissimi, plena fidelitatis in Senatu consilia, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, sapientia in providendo, justitia in judiciis, magnifica demum liberalitas in publicis privatisque impendiis.

Quandoquidem vero non ab Avo solo, Patre, Patruisq; Tuis longe celeberrimis Viris, hæc laudis amplitudo in Te refunditur, verûm etiam cum ab aliis POTOCCIIS, qui jam solius immortalitatis refectorum, vitam vivunt, tum ab his, qui præsentem Reipublicæ curam gerunt, utinamq; DEI propitii munere, ad omnium vota diutissimam gerant! quiq; sunt sive Patrui, sive Fratres Tui clarissimi illustrissimiq; cum inquam & ab Jllorum optimis maximis-

misque in bonum publicum studiis, plurimum in Te decoris gloriæ, pretiiq; derivetur; religio mihi esset, eorum longè præstantissima benefacta silentio isthic præterire; nisi virtutem Jllorum meritorumq; amplitudinem, crebro repetitis vicibus celebratam, ac deinceps multò frequentius deprædicandam esse, mihi certum exploratumque haberem: Sed tamen Fratris Tui Sororumq; lectissimarum non possum non meminisse. Vir hic imprimis Jllustrissimus, pulcherrimis animi dotibus conspicuus, MARIANUS POTOCKI haud ita pridem Castellanus Lubaczoviensis, quo certius familiarem cum nobilibus gratiam iniret, omnibus ultro & jam sibi concessis, & qui offerebantur, Senatoriis abdicavit se Magistratibus; ut inquam obire posset utilia ea Republicæ munia, à quibus exercendis, Senatores, Regni legibus impediuntur. Pulcherrime certe imitatus est admiratione dignum cum sui Parentis, tum Patrui JOSEPHI Excubitoris Regni, exemplum, quorum primus Vester nempe Jllustrissimus Parens, sæpè oblatas sibi ab Augusto II. Senatorias trabeas; nunquam adduci poterat ut admitteret; alter Sacramento jurisjurandi, Senatorii usum Officii æternum sibi interdixit.

An autem prætereundæ ſunt hoc loco Jlluſtriſſimæ Dominæ aut verius Heroinæ PELAGIA & CATHARINA. Sorores Tuæ Dilectiſſimæ, altera JOSEPHI POTOCKI Caſtellani Leopolienſis altera olim STANISLAI KOSSAKOWSKI Caſtellani Kamienſcenſis, Conjuges Lectiſſimæ? in quibus, Fœminei imbecillitatem ſexus, tam egregiè, non dico virilis & maſculus, ſed planè heroicus compenſavit animus, ut gloriosè pertractantes difficillima quæq; negotia, pares reddiderit Viris prudentiſſimis fortiſſimisq;. Ex his profectò, non ipſis ſolis Maritis, ſed cum Tibi, tum omni POTOCCIANÆ Genti plurimum decoris gloriæq; accedit: in utraq; pariter namque, & Patris, & Jlluſtriſſimæ de PODBERESCIIS Matris Veſtræ, illa modeſtia, illa veritas, ille candor ingenuus ita agnoſcitur; ut ſi quis eas, ſive invicem ſibi, ſive optimæ Parenti conferat, dubitare cogatur, utrum ſit efficacius ad rectè vivendum benè inſtitui, an feliciter talibus Parentibus naſci. Et cum Tu vultus moresq; Paternos egregiè referas, Te utraq; effuſiſſimè diligit; idem utriq; propoſitum, idem vitæ tenor, nihilq; eſt propemodum ex quo ſentias duas eſſe: ac proinde Te etiam imitari, ac ſubſequi ſtudent. Sed quæcunq;

cunćq; illis ratio tantam modeſtiam, gravitatemque ſvaſit, hoc magis dignæ ſunt, ut in omnium animis & ſint & habeantur, quod verum honorem non in ſplendore Titulorum, ſed in judiciis hominum reponant, Magniſque Nominibus pares ſe faciant etiam dum recuſant. Hoc ſolo diſcrimine una alterâ beatior, quod ex POTOCCIO ſeptem ſuſceperit Filios, qui POTOCCIORUM Nominis gloriam, non degenere virtute ſua auctam, æternum conſervaturi ſunt: altera verò, quam ad omnem probitatem honeſtatemque informaret, prole deſtituitur.

Cum jam igitur iſta transfuſa Jlluſtriſſime Domine, POTOCCIORUM omnium gloria quiddam in Te excellens, quiddam prope divinum, quod Polonia, quid Polonia? quod univerſus deniq; terrarum Orbis ſuſpiciat maxime, quod veneretur etiam religioſe, proponit; quam ego cupiam adeſſe, hoc loco mihi, non jam ſolam hanc Leopolienſis territorii Nobilitatem, ſed plane univerſos Regni noſtri Ordines! Enim vero quam multis ad numerum, una vero quam certis & quam gravibus ad auctoritatem ac pondus, quam illuſtribus ac magnificis palam facerem

Ar-

Argumentis; quidquid isto in Regno, istaq; Republica, seu habemus etiamnum boni, seu habebamus olim, cum floreremus quam maxime; id partem potissimam, ne dicam id omne prorsus vobis POTOCCII & majores debuisse nostros, & nos debere, & posteros nostros æternum esse debituros. Proin ex hoc pervetusto nobilissimorum Tuorum natalium splendore, pronum nobis est colligere, non hanc solum Præfecturæ Leopolitanæ dignitatem, sed quæ maximæ sunt illas Tibi deberi. Non fortuita equidem consensio hominum, nec repentinus aliquis favoris eventus, Tuam virtutem honoribus cumulat, sed jam nascendo imperia meruisti. Quod quidem mihi DEI immortalis munus, & pulchrum videtur & maximum, in lucem statem felicem venire, & ea quæ alii vix totius vitæ laboribus consequuntur, jam sibi domi parta suscipere. Quamvis enim magna sit & admiranda felicitas, quæ stipendiis in ordinem meritis, & militiæ gradibus emensis ad fastigium dignitatis ascendit; quod quidem etiam Tu præclare consecutus es, ita ut licet supra omnes acquirendæ gloriæ moras Te fortuna posuisset, crescere

ta-

tamen militando voluisti, Teq; meritis celebriorem reddidisti, cum jam non posses Genere esse clarior nobiliorque: quamvis inquam magnum sit, abs se profectum, ad maxima pervenire; longe tamen aliud est, ipsa ortus sui sublimitate fultum, verticem tenere fortunæ, & quæ summa sunt, non sperare sed habere. Neq; enim dubium cuiquam esse potest, quin Tibi omnium Reipublicæ Magistratuum, hæreditas competat, cum dubium nemini esse potest FELICIS magni copiarum Regni Ductoris Nepotem, & Georgii Filium, seu Te POTOCCIUM esse. Jnde est, quod tanta ex illis in Te cum sangvine formæ similitudo transivit, ut eorum graves amabilesq; vultus, eorumq; mores ipsa natura signante, in Te expressi videantur. Idem enim est, quem rursus in Te colimus, aspectus, eadem in fronte gravitas, eadem in oculis & in ore tranquillitas, idem in pectore robur, sic est index modestiæ rubor, sic testis justitiæ sermo: & doleat licet Respublica quod optimus Parens Avusq; Tuus ab illa excesserint, sed dum Te cernit, illos nequaquam excessisse arbitratur. Quanquam quid ego illos excessisse dico? quorum

rum immortalia facta etiam atq; etiam in Te vivunt, atq; in Tuis præclaris meritis quibus Tu Te supra omnium honorum culmina majorem reddidisti; in totius Reipublicæ oculis posita conspiciuntur. Sed agedum, qui in Te incredibilem POTOCCIORUM gloriam, tantaq; Majorum Tuorum decora, spectavimus ad huc, nunc Tua hæc demum contemplemur merita: Hæc enim vero est altera pars peculiarium Tibi laudum, in quas si diligentius intuebimur, quibus per DEUM exultabimus lætitiis! quibus animorum gaudiis incedemus, quibus certatim plausibus isti gratulabimur nobilissimo territorio Leopoliensi datum ei esse Præfectum à suarum dotum atque virtutum laudibus præter cæteros aptissimum, qui cum honorificentissima ejus felicitate, eximium idem illud munus obeat. Illæ vero dotes, virtutes atq; merita Tua, quam multa sint, quam præclara, quam ad eandem gloriæ Tuæ felicitatem propemodum infinita, id quanquam nemo nostrum nesciat, tamen vel scientibus, intuentibusq; etiam, quasi ad incendendam vehementius, communis lætitiæ voluptatem, paucis memorandum est: verum ut

ut in magnis ædibus, interiorem ornatum vestibula ipsa declarant; & molem ædificii diuturniorem spondent, probe jacta fundamenta, sic nobis venturis ad ingentium virtutum Tuarum stupenda penetralia, debet laudationis ingressum, cum pueritia tum Adolescentia Tua aperire, illa in Scholis Lublinensibus, hæc apud exteras Regiones & gentes optime exacta. Et profecto, ubi illam pueritiam Adolescentiamq; Tuam svavi recordatione repetimus, jam præclaram, jam absolutam, iam admirabilem, neq; tam hominis, quam ipsiusmet Cælo lapsæ virtutis imaginem effingimus. Incomparabilis hæc igitur, & ad virtutem ac decus proprio naturæ ingenio tam pulcherrime prædita Tua illa pueritiæ indoles, posteaquam in hac ejusmodi POTOCCIANA educata est domo, posteaquam in ejusmodi Parentum manibus tam liberaliter atq; ingenue instituta est, qualem Tui aliam in Scholis effingere potuisset speciem, si non Adolescentuli, eximia bonitate, probitate, integritate, studio, eruditione, omni deniq; laudum genere insignis atq; conspicui? O beatas fortunasq; Scholas Lublinenses! O felices ejusmodi nactos discipulum

D Piæ-

Præceptores, quibus nullo labore constabat divinam Tuam indolem ad studium laudis hortari. Non necesse fuerat, Camillos & Curios & Catones Tibi ad imitandum proponere, sed suffecerat, Patris Tui Avorumq; exempla memorare, ut omni literarum genere animum excoleres, ut egregios in omnibus præclaris artibus progressus faceres, uberrimosq; fructus referres. Neq; diu bonorum omnium optimam de Te spem conceptam, expectationemq; distulisti: nam paulo post ab emensis literarum studiis illam tam excellentem, tamq; reconditam Tuam eruditionem, quanto deinde uberiorem, quanto perfectiorem, quanto deniq; admirabiliorem, factam, existimamus experimurq;; posteaquam excellens istud ingenium Tuum, in Europæ prodiisset lucem, Regionesq; Germaniæ & Galliæ ,perlustrasset. Sed pace Tua dicam Jllustrissime Domine, nihil prorsus ex longa illa peregrinatione Tua ad pristinam Tuam prudentiam, ad Tuam sapientiam, ad Tuam rerum omnium cognitionem accessit, præterquam quod in se ipsis ea conspexeris, quæ jam olim in libris & literis cognovisses. Aut certe, si accessisse quidquam, sit

omnino

omnino dicendum, id nihil aliud fuisse contendam, præterquam prudentiæ sapientiæq; illius Tuæ, quam perfectam in omnes partes, omnibusq; absolutam numeris Patrio Regno extuleras, communem inter gentes eruditas admirationem ac Nominis Tui gloriam incredibilem. Ut cætera namq; omittam quæ Tuæ commendationem eruditionis mirum in modum augent; quæ nam præcipua inter Europæas est lingva, qua non Tu expedite, copiose, scite, eleganterq; ad audientium delectationem & scribas & loquaris? Patria vero eloquentiâ quantum valeas, quid ego memorem? cum sim dicturus minus, quam universa existimet prædicetq; Respublica; quæ Te in generalibus Regni Comitiis Provincialem Nuncium iterum iterumq; audivit pro publico bono perorantem. Quid porro aut in Philosophicis, aut in Mathematicis facultatibus tam est abditum ut Te lateat? aut in infinita historiæ universæ vastitate tam dispersum dissipatumq; ut non hoc tamen animo complectaris totum. Civilium demum institutorum scientia, juris publici, non Poloni, nec Lithvani solum, sed gentium omnino omnium exquisita cognitio,

tanta ineſt in Tua mente; ut qui Te de hoc genere audierunt, quoties autem non audierunt? differentem, ii ipſum in Te Platonem aut Solonem illos Divinos ſcilicet Reipublicæ Magiſtros audire ſibi viderentur. Ac jam tum mirabantur in Te omnes, gravem illam in judicando differendoq; prudentiam, hanc lepore & gratia conditam temperatamq; Majeſtatem, hanc diligentiam in negotiis, conſilium in providendo, ſagacitatem in conjectando, induſtriam conſtantiamque in agendo, hanc demum abſolutam omnibus numeris, earum omnium, quæ ad Civilem veniunt uſum, rerum ſcientiam, hanc incredibilem atq́, Divinam quandam in Te Juvene ſapientiam. Cum vero iſta ſapientia Tua, nihil non maximum utilitati publicæ, de Te polliceretur, tum aliæ virtutes in amorem venerationemq́; Tui pectora omnium rapiebant. Etenim quis Te optimum tum Juvenem non ſingulari cultu, obſequio, & amore proſequendum eſſe putaſſet, qnem in tanta fortuna, tanta eſſe demiſſione animi, atq́; tanta modeſtia vidiſſet eſſe? tam faciles privatorum tenuiorumque etiam, acceſſus eſſent, tam liberæ, ſeu preces, ſeu querimoniæ de aliorum injuriis, ut is, qui di-
gnita-

gnitate sit suppar Principibus, humanitate, atque facilitate nihil supra infimos videatur assurgere? Quid de maxima tunc in Divinum Numen religione, quid de eximia in Majores pietate, in æquales, imo vero in tenuissimos quosq; caritate & liberalitate dicam? ista vero, ista imprimis hominis decora tam ampla, tamq; illustria, in Te jam tum fuêre, ut omnibus admirationem Tui amoremq; extorquerent: ista fuêre quorum in tota Polonia tot laudatores habes, quot eos qui Te noscunt noveruntq.

Tale igitur teneræ auspicium ætatis Tuæ, quid sequebatur nisi novum & ingens adultioris vitæ miraculum: sed sint Vir Illustrissime, ea quæ Tu juste moderatè civiliter facis, aliis fortè miraculo, nobis esse non possunt, qui Te omnibus vitiis absolutum & liberum sciamus, solo immortalitatis boniq; publici amore flagrare, dirigere omnes vires & cogitationes Tuas ad memoriam posteritatis æternam, atq; his maxime servire judicibus, qui de rebus præclare gestis Tuis, sæculis venturis judicabunt. Non enim potes quidquam abjectum & humile cogitare, qui scis de Te semper loquendum. Nunc igitur si parum ampla, nec respondente meritis Tuis reliqua oratione

ufus videbor, quæfo obteftórq; Te meæ id naturæ potius temporumq; anguftiis quam rectefactorum Tuorum magnitudini putes effe tribuendum.

Ne tamen adolefcentiam Tuam ad omnium admirationem inftitutam; ad infinitas prope reliquas bene geftorum Tuorũ laudes' quibufcum arctiffimè conjuncta eft, defcenfuri, ufq; adhuc omittamus; bellicæ artis optimum Tuum ftudium, cui Te continuo à primis Juventutis annis addixifti, perpetua quidem dignum recordatione, verbis paucifimis repetamus. Favit imprimis Martio robori Tuo, infitumq; à Majoribus heroicum animum Tuum plurimum auxit, Patrii foli oportunitas. Non enim in otiofa aliqua, deliciifq; corrupta terrarum parte, natus inftitutufq; es, fed in hac Polonia, quam ad infatigabilem confvetudinem laboris atq; patientiæ, fractus jam dudum licet hoftis, non provocet, arma tamen femper eam exercent. Huic Tu pulcherrimo, Patriæq; faluti utiliffimo exercitio, quam porro diligentiam, quam habitudinem, quod robur non attulifti? Neq; tamen Tua illa bellicæ rei fcientia, quam per tot laborum experimenta quæfifti adfcribenda eft, aut naturæ ipfi foli, aut fortunæ Reipublicæ; cui

hoc

hoc Nomine etiam ſuccenſeri poteſt, quod quem ſellis curulibus, ſummiſq; Magiſtratibus deſtinaverat, nunquam indulgenter habere voluerit; ſed ut optimi Patres his, quos impenſius diligunt Filiis, triſtiores aſperioreſq; ſunt, ita hæc Patria Tua Te plurimis militaribus difficillimiſq; rebus exercuit, dum aptabát parabatq; imperio. Quid hic memorem, ſtationes Tuas in caſtris? quid actas dies noctesq; excubias? quid omnes labores ſudoreſq;? non tam patiens Scipio Affricanus prima rudimenta militiæ ſub Paulo Patre toleravit, nec pari indole Annibal puer in tentoria ſucceſſit, nec futurarum ſpe certiore virtutum Philippi caſtra Alexander nondum Magnus implevit: quos etſi plurima laude dotaverit magiſtra veri vetuſtas, nihil plus tamen blandita præſtitit, quam ut eos in his annis Ductorum caſtra ſecutos vulgaret, in quibus Tu ita fortiter multa geſſiſti, ut ea non tantum Alexander, aut Affricanus, aut Hannibal videre dum diſcerent; ſed eorum Ductores atq; inſtitutores, optaſſent facere, dum docerent. Et ne tum quidem cum in altiorem militiæ provectus gradum, jubere tantum & parta gloria ac honore frui poſſes, hanc militarem operam remiſiſti, quin omnium

mnium Castrensium munerum primus numeros, aut cum primis obires: stabas nempe pro signis, excubias egisti, Dux Consilio, sed miles exemplo fuisti, ut jam tum posset intelligi, alios tractatione armorum, parare sibi nobilitatem, Te à majoribus acceptæ nobilitatis antiquitate, ipsis armis totiq; militiæ nobilitatem addidisse. Quoties autem Tibi placuit aliis publicis negotiis Castra mutare, ita boni communis curam in Te suscipiebas, ut sive Tu Aulæ Regiæ, sive plurimis Regni Comitiis, sive Tribunalis Regni Supremo muneri tempus dabas, rem & famam pariter auctam efficeres omniumq; ordinum homines his, aut illis beneficiis apprehenderes, amicorum commoda, præsentium absentiumq; negotia, assiduitate, consilio, sententia, re, authoritate juvares. Velim tamen dicas, unde cum solus unus tantis laboribus sufficias, nec Te negotiorum cura, vel ipsa illa Tuorum beneficiorum turba confundat, unde inquam, hæc Tua patientia? unde virium tantum robur, ut neminem parcior, tardiorve, obsequio gratia, justitia, tempore modove decipias? quotidie in labores atq; beneficia Tua inquirimus, & memoriam convenimus, & ne singulis insidietur oblivio, cum altero quis-

que conferimus; unum autem invenire non possumus, cujus spem atq; expectationem, non dicam fefelleris, sed quæ delicatior est quærela, distuleris,

Sed hactenus Jllustrissime Domine pro ratione temporis perexigui, memet præteritas præsentesq; laudes Tuas attrectasse fas fuerit: At cum ingens ne dicam infinita meritorum Tuorum copia me obruat, eademq; temporis ratio coerceat, finem sermoni facere maluerim, quam amplissimum Officiorum Honorumq; Tuorum ordinem invadere. Dabitur utcunq; venia piæ temeritati meæ, si usurpasse communia, & leviter prima laudum Tuarum capita áttigisse, non singula quæ innumerabilia sunt comprehendisse visus fuero. Eam itaq; gloriæ partem, ultimam quidem loco, sed miram, incomparabilem, atq; omnium judicio existimationeq; majorem, quod nempe cum Tuorum rectefactis Majorum tum propriis virtutibus Tuis, non de hac sola Polona Republica, sed universo prope terrarum orbe optime meritus, usq; adhuc rerum præclarè gestarum præmium [supremam quandam honoris dignitatem intelligo) non curaveris, nec admiseris, cum, inquam, illam gloriæ Tuæ partem silentio reverenter præ

termitto; affirmare tamen haud invitus cogor, amorem ſtudiumq; boni publici, Tibi in cauſa fuiſſe, ut per ſingulos Magiſtratuum Patriæ gradus, in unoquoq; habilis utiliſq; ad altiſſimum dignitatum culmen proveharis. Quapropter hæc pleraq; reliqua quæ abſ Te bene geſta ſunt, ſemperq; geruntur, ſubinde relinquimus magis magiſque celebranda; Qualem Te in militaribus Officiis præſtiteris, quis in Pincernæ Regni munere, quis in Provincialibus Regni Legationibus fueris, quis demum ſis in hoc Supremo M. D. L. rei tormentariæ munere, horum hæc lingvis, horum voce laudentur, qui de communibus gaudiis & dignius utiq; quæ maxima, & juſtius poterunt prædicare, quæ meritis, Nominiſq; Tui gloriæ peculiaria ſunt. Nos verò cum imprimis Veſtræ POTOCCIAN Ægratiæ qua liberaliſſimi Craſnoſtaviæ, Varſaviæ Lanciciæ, Novogrodeci Collegiorum Noſtrorum primi Authores Fundatoreſq; extitiſtis, tum infinitorum propemodum Veſtrorum beneficiorum, ac vel maxime Collegio Stanislaopolienſi, iſtique Tuo Leopolienſi Munificentiſſime collatorum, animo ſemper grato, precibuſq; ad DEUM fuſis, memores; nos inquam diximus adhuc pro eloquentiæ noſtræ tenuitate
mul-

multa, ſed pauciora quam pro voluntatis in Te noſtræ ſtudio debuimus; ut juſtam apud Tuam benevolentiam cauſam habeamus, & nunc paululum quieſcendi, & ſæpe deinceps uberiuſq; de Te dicendi, cum eorum conſvetudine qui Te hac Præfectura Leopolitana præceſſerunt, aut Palatinus Magnus, aut Dux; aut promeritorum Tuorum dignitate fies utrumque.

Ad M. D. G.

II